

Q. H. 262, P.

Zc  
7804

X 2053993

AFFECTUS  
VITI SEBALDI  
FRANCI, POETÆ.  
LAUR.  
IN  
GEORGIUM  
MYLIUM THEOLO-  
GUM MAGNUM  
Ecclesiæ & Academiae  
VVITEBERGENSIS

Doctorem & Professore (heu quondam!)  
eximium, Præceptorem desi-  
deratissimum;



*Declaratus*



In panegyri Academicâ,

VVITEBERGÆ

IV. Non. Augusti, Anno Christiano  
c1o Ioc VII.



Typis Cratonianis per Iohan Gorman.  
Impensis Clementis Bergeri, Bibl.



AFFECTUS  
VITTI SEBASTI  
FRANCIS PONTA  
LAGR  
IN  
GEORGIIUM  
MYLLIUM THEOLO  
GUM MAGNUM  
Ecclesie & Academiae  
WITTENBERGENSIS

Doctorem & Professorum (non quondam!)  
examinum, Praeceptorum des-



detalisimum  
Doktorum  
in paupertate Academiae  
WITTENBERGENSIS  
IV Non. Augusti Anno Christiano  
1613 Jac VII.

Typis Georgii Johannii  
Intra Muros



ILLUSTRIBUS ET

Generosis viris,

IOAN-CASIMIRO

COMITI A SPONDAV ET LIE-

nar &c. Illustris. Principi, March. Brand.

CHRISTIANO

à Confiliis intimis, Culmbach

Gubernatori,

ET

Ehrenreich von Sauraw lib. Bar.

Celsis. Principi

JOACH-ERNESTO

March. Brand. itidem à confiliis

intimis,

Curia Provincialis Onoldi

Præsidi, &c.

Mæcenatibus suis Magnis

S. D.

VITUS SEBALDI.



AM diu est, Magni Mæcenates,  
quum clarissima Virtutis & eru-  
ditionis vestræ fama, amorem  
& reverentiam vestri miris in me  
modis excitavit. Vtrumque du-

A 2

dum

RECTOR

dum vobis explicare animum induxi, sed ve-  
ritus ne non gradu, quod ajunt, sed præcipi-  
ti cursu ab omni modestiâ desciscerem, si ad  
vos contenderem ita importunus, explica-  
tionem hucusque protuli. Iam quod minas-  
tus, en audeo, & affectum meum in vos in  
Affectu hoc MTLIANO, sed & cum eo me  
totum humilimè vobis offero. Oblatio, fa-  
teor, exigua nimis, si sui pretii, & non magis  
MTLI, vestriq; in MTLIUM, & MTLIA-  
NAM DOCTRINAM animi æstimatione pen-  
datur. Versus etiam sunt, si rem ipsam ipse  
puto, non pro magni MTLI nostri, non pro  
vestro splendore, Illustres duumviri, appa-  
rati; sed cogitabitis illud, *ἡ πρόσθε πάντῃς ἐστὶ ἀρτίσαι*  
*καλῶς*; & non facile est, ait Philosophus, *inter*  
*magna mala non desipere.* Vos hinc Pieta-  
tem in Præceptorem, Affectum & obsequii  
fervorem in vos agnoscite quæso, & me, stu-  
diaque mea clementer fovete, qui vos æter-  
num colo cum CL. TAUBMANO, altero  
illo meo Parente, Virtutis & Honoris  
vestræ cultore maximo. V Vit-  
tebergæ III. Eid. Augusti.  
cIo. Io. cVII.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ  
VVittenbergenfis  
BARTHOLOMÆ  
US REUSNERUS I. U. D.  
& Professor Publicus.

**S**EPTIMANÆ sunt ipsæ quinque,  
cum quidam è vobis oratione li-  
berâ & pedestri GEORGI ME-  
LI Theologi magni, & (heu!)  
quondam Collegæ nostri Memoriam Publi-  
cè celebraret. Eundem pietatis affectum ho-  
diernâ die meritissimo olim Præceptori da-  
bit VITUS SEBALDI Heilsbrunâ-Fran-  
cus, Poëta Laureatus. Verum hic se (quod  
suam professionem maximè decebat) in ali-  
um orantis habitum componet, & jam non  
proſâ, sed numeris adstrictâ oratione argu-  
mentum pertractabit, & numeris quidem  
heroicis: quippe non nisi istis cantari mere-  
batur MYLIUS, heros Christianæ militiæ  
verè fortis & animosus. Carmen quidem, si  
quid judicare possumus, & si aures habe-  
mus,

mus, quas paucis datas esse Philosophus dixit, Poëticas: ita ad genium & exemplum eruditæ antiquitatis compositum est, ut, si actio recitantem non deficiet, quivis paullo doctior intellexerit, hunc Poëtam, & Laurum illã suam meritò gestare, & MYLIUM ab hoc potiùs, quàm ab alio quovis celebrari debuisse. Vestrum est ad horam postea secundam in Auditorio majori comparere, & de nostris verbis ex re ipsã judicium facere. P. P. Dominicã à Trinit.

nonã. Anno Christiano  
cIo IccVII.



**AFFE-**

AFFECTUS  
IN G. MYLIUM DOCT.  
THEOLOGUM.

**T**ferali iterum dicenda est nenia  
voce!

**Q**uis modus exsequiis, quem fas ca-  
lestibus iris,

Qvem conclamatis finem sperare ruinis?

Scilicet immensos Titan qui digerit annos,

Non sua sidereo relegit vestigia passu,

Cum non clarorū capitum nova funera cernat.

Tramitis obliquum vix bis percurrerat orbem,

Signiferi, & triplici incestavit lumina fato,

Vidit ut Hunniaden, Gesnerum, & te, optime

Rungi,

Corporibusq; animisq; foret cum nulla senectus,

Egregias efflare animas, letoq; fruisi.

Fatorum requiē & tunc mens sibi credula fingit,

Lenimenq; mali votis exposcit avaris,

Jamq; timere novas plagas absistimus omnes.

At spes fallaces! vix est expleta voluptas (ctus,

Flendi, & adhuc memori demens stat pectore lu-

Magne MYLI (ad nomē misero vox faucib. heret

Nec teneo harētes oculorum in margine fletus,)

En tua nos jubet in luctus discessio vita

Iugiter

Jugiter ire novos, veteresq; recludere questus.  
Et licet ad vires me sit componere verum,  
Ingenij cum vis absumpta, & copia fandi  
Exsiccata mihi invalidi à fervore doloris,  
Cum mens curarum densa caligine pressa,  
Nequicquam sua sit. tanta est insania cladis!  
Ipsaq; sordescant surgentia verba querelis:  
Ecce tamen juvat, heu juvat illaudabile carmen  
Fundere: & incomtè miserū explanare dolorem,  
Et solamen erit multitis pulsare querelis,  
Irrita queis amissa bona atq; ingrata fuerunt.  
Quam juvat hos mæst à crines damnare cupresso!  
O procul hinc, procul hinc esto Parnasia laurus,  
Nam me nam tectum magno indulgebo dolori.

Musica magnificè auspicio ductuq; gubernas  
Hæc qui castra tuo, Phœbiq; sacraria servas.  
Et vos, Illustres Animæ, nova sidera cæli  
Leucorei; & qui docta premis subsellia magne  
Ordo Professorum; pubesq; operata Camenis,  
Sis vel avis atavisq; potens, & nobilis à te,  
Seu tibi parva domi est mecum fortuna relicta;  
Conferte heic gemitus vestrosq; impendite luctus  
Communi damno, linguisq; animisq; favete,  
Dum lessum magni in feriis accanto Magistri,  
Affectusq; pios infracto dum explico versu. (ve  
Sancte MTLI que digna tibi solemnia, quas-  
Lat-



Largiar exsequias, & quo te carmine laudem?  
Si mihi centena laxentur pectora voce,  
Non animi affectus tantis conatibus aequem.  
Ardua non mihi Parnasi, totusq; reclusus  
Sufficeret numeris Helicon, ut dicere possim,  
Agmina Virtutum, varios vitæq; labores,  
Utq; humana tuis cumulâris secula donis.  
In te tot rerum miracula vidimus uno,  
Ut prius æthereos abjungat in æquore Vesper  
Solis equos, dignis quàm consequar omnia dictis.  
Quàm sunt cuncta istis longè, longè omnia votis  
Inferiora meis, quacunq; hac dixero luce!  
An te spirantem puram sine crimine vitam,  
Quàm datur humanis hæc per tot lubrica rerum?  
Annè tuos dicam ut tacito Natura recessu  
Formârit vultus, miro & saturârit honore,  
Quos mors nunc turpi fedavit lurida tabo?  
Sidereosve oculos, & lati plena vigoris  
Lumina, sub longâ sed jam quæ condita nocte?  
Maxima divina vel mirer flumina lingua?  
Magnanimâve canâ cum majestâte decorem?  
Utq; tuo placidam posuere in pectore sedem  
Blandus Honos, hilarisq; suo cum pondere Virtus?  
Omnia in immensi scripsit quæ pariete mundi  
Delicium mystarum hodiè BALDWINUS, amorq;  
Leucoridum, & sacra placidissima Suda cathedra

B

Tristia

Tristia cum nuper nigra solemnia pompa  
Cerneret in lacrimis concurrens undiq; plebes.  
Qua tua vis humana potest sed dicere dona?  
Omnia magnus eras, nulliq; imitabilis ævo.  
Visus es ut nobis humano augustior omni,  
Cum gravibus sanctos verbis exponere sensus,  
Quos ex ore DEI demissos cœlitus hausti,  
Instituis, fideiq; sacras edisseris artes,  
Ut tunc devoti excelso pendemus ab ore!  
Non satis est spectasse semel, iuvat usq; tueri,  
Salvificasq; avido nimium ore vorare loquelas.  
Codicis at sacri, celso hoc in ponte cathedra,  
Arcanam dextro promissis si pectore mentem;  
Aut si theologæ logices indagine publi,  
Cacos Herculeo gestis dissolvere nodos  
Robore, & in veri cœleste intingere nectar,  
Extricans rectum à curvis, & falsa refellens,  
Omnia quàm sunt cum majestate potenti!  
Contexit solito quæ furva Calumnia more  
Non virosa pavens transacta crimina vita;  
Non tetrica curas crudelia jurgia lingua.  
Non se nycticorax calvâ de gente magister,  
Audet theologâ tecum componere pugna.  
Et prudens nosti quàm non sit fidere tutum,  
Subdola cum ridet falsi pellacia fratris.  
Non fraudes mens alta timet, non fata, necemq;  
Dege-

Degeneresq; minas; securo lumine spernit,  
Ausonii quicquid molitur bestia monstri.  
Suevidos Augusta, quæ se Lycus irruit agris  
Vindelicis, vos nunc estis mihi mœnia testes,  
In MTLII qualis regnarit pectore Virtus.  
Primum vidistis vos cruda exordia magnæ  
Indolis, altarum & surgentia semina laudum.  
Non huic clara quidem numeratur linea gentis,  
Non at avium à longo se jactat stemma tumore,  
Ipse sed ingenio plebeis se eximit umbris,  
Obnubitq; genus diæ vis incita Mentis.  
Hunc nam, luce novâ lustrat cum Cynthia orbẽ,  
Et jubar auricomum Hesperis cum fluctib. abdit.  
Intentum cernit studiis avidumq; laborum.  
Sic, ut adhuc primo cum staret limine vita,  
Captum vota patrũ credi, hinc Hentzelia pubes  
Hoc monitore regi, inq; bonos formari usus.  
O felix Augusta, tuo si rectius usa,  
Servasseq; tibi, injustissima mater, alumnum!  
Est genus infandum, & nullâ sub mole fatiscens  
Criminis, ad sceleris faciem quamcunq; paratum  
Inventisq; suis multâ se laude fatigans.  
Ellogiumq; sibi quærens à nomine IESV,  
Olim decrepiti lævo quod tempore mundi  
Horrida terrigenis sæcundo Tartara nixu  
Ediderunt Orcinæ è diro semine spuma.

Verius haud illo Phœbi cortina profatur.  
Grande nefas, & quod nullâ quit morte piari,  
Si quis non isti patientes commodat aures.  
Omnia pro libitu hoc format, formata reformat,  
Et pretio leges figit, pretioq; refigit.  
At M<sup>Y</sup>L<sup>I</sup>U<sup>S</sup>, sacri qui servantissimus æqui,  
Usq; , velut pelagi rupes immota, resistit,  
Nescius à prisco quoquam discedere more,  
Et se tantillum Latio indulgere Tyranno.  
Hinc gen9 Orcinum, & suboles germana Sat'ana,  
Continuò immensum tumidas exardet iras,  
Flammatoq; feras meditat ur pectore mortes.  
Non secus incauti trepido pressus pede serpens  
Fortè viatoris, suffusus sanguine & igni  
Lumina, in obliquos sinuosa volumina motus  
Versat, & horrendum linguis micat ore trisulcis,  
Inq; viatorem gestit diffundere virus  
Omne suum, atq; uno miserum depascere morsu.  
Hæc q; diu rabida dum stat sententia menti,  
Tandē opus aggreditur, scelerum meditat aq; secū  
Agmina, conspicuo producit in æquore campi,  
Et versare prius terræ stat viscera in orbes  
Sidereos, veterique chaos confundere mundum,  
Amplius Augustà Mylium quàm cernere luce,  
Si vitæ has liquidò ducat spirabilis auras.  
Jam medium cæli conscenderat altior orbem  
Phœbus

Phœbus, & ex æquo metâ distabat utrâque,  
Jamque Augusta capit consueto fercula more,  
Et sua securis jam reddit tempora mensis;  
Clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror,  
Omnia & arato latè loca milite complent  
Papicola, & properè Myliani limina tecti  
Suspensorabidi properant contingere passu.  
Non sic fortè fremens immitum turba luporum,  
Improba quos rabies, ventrisq; insania vexat,  
Immensi cursu tramittunt æquora campi,  
Fulmineoq; inhiant non sic hædilia rictu.  
Ergo domum insani furis, miseroq; tumultu  
Incendunt, Myliumq; trahunt per operta viarû  
Ad portam, ignipotens quam servat machina  
Custodumq; tumor, florentesq; ære catena. (muro,  
Triga caballorum rapido velocior Euro  
Heic adstat, gaudetq; uno decurrere Romam,  
Spiritu, & hæreticum Latiali sistere Patri.  
Expectat nimbus peditum, clypeatq; Iberi  
Agmina letantur vigili hunc comitare coronâ,  
Crudeliq; feram properari funere mortem.  
Cœlica tergeminâ Mylium sed gratia dextrâ  
Servat, & armorum sine vi (mirabile dictu)  
Armis eripitur, visuq; elabatur hostis,  
Ceu subitò ex oculis tennes abiisset in auras,  
Hostibus elapsus vix ut sibi crederet ipsi.

Sic Deus electum miro dignatur honore,  
Præsidiq; tenax per tot discrimina servat,  
Ut cuncta aerij discerpant irrita venti,  
Hostilis MYLIO quicquid vesania texit.  
Hospita at ipsa petit genialis mœnia pernix  
Ulma, qua merito te multà tumescit alumno  
Aurea Theologæ Siren, HUTTERE, cathedræ.  
Ast ibi ne Virtus tacitâ torperet in umbrâ,  
Evocat AUGUSTUS pater augustissimq;, atq; hunc  
Esse Professore & Doctoris munia mandat,  
Et jubet ingenium hoc & dædala roboræ linguæ  
Hanc ornare suam mirandâ Leucorin arte.  
Hinc ad prælustris concedit sacra Lycei,  
Sala ubi pulchricomos prætexit arundine campos,  
Tollit & in Bacchi quæ se Thuringia colles;  
Otia non illic captans bene pingvia rerum,  
Privatus se domi distentâ in pelle quiescens,  
Illustrat Salam, atq; huius molimine, fama  
Jenæ Europæo mirandum diditur orbi.  
Leucorei sed cum celsissima gloria sæcli  
Sidereæ Hunniades adscitus civibus aule,  
Et viduata suo miserè hæc Ecclesia patre,  
Viveret in crebris gemitibus luctûsq; tenebris,  
En iterum MYLIUS nostro se reddit honori.  
Ut, cum sole malo, gelidoq; rosaria pallent  
Ista Noto, tepidi si blandior aura FavonI  
Nubila

Nubila dispellit, sequitur color omnis in hortos,  
Rursus & informes ornat sua gloria virgas:  
Nostram ita cum primo contingis Oreada visu,  
Magne Myli, exsolvit mœrentia pectora luctu  
Leucoris, & duro semet furata dolori est.  
Ipsa etiam nuper totâ se mente recepit,  
Finxit & acceptæ cladis superasse tumorem,  
Et nimium lato salierunt pectora voto,  
Cum tua felici huc ferres vestigia passu.  
Scilicet. ipsa vides ventos tua gaudia ferre,  
Ipsa vides Mylium, cœlorum dotibus auctum,  
Explicitum; omne bonum in cineres grauis intulit  
Feralisq; dies, tantum meminisse relictum est. (hora,  
Leucori, quicquid erat tibi, lux hæc abstulit una.  
O lux Cimmeriis semper damnanda tenebris,  
Abstulit, heu, tantas uno quæ in pectore dotes.  
O lux nequicquam sero memoranda nepoti,  
Cogimur, heu, nostro quæ solvere iusta parenti.  
Leucore asne omnes hoc unum flebile marmor  
Sepit opes, Myliumne tenet scrobs una sepulcri?  
O terra, ô maria, ô cœlum, ô quid deniq; restat,  
Quod me audire queat, nostra miserescite cladis,  
En quantus nobis penarum jam ingruit imber!  
Ingrediturq; ferox ut plenis passibus Ate!  
Exspuit ut rabiem in Christi Vis seua ministros!  
Ut valido, ut vasto telamones impete, ut alto  
Leucori

Leucori maesta, tuos sentis procumbere casu.  
Quot vivunt hodie bardi deliria mundi,  
Utq; infame lutum, terra pus atque venenum,  
Sidere felici per plurima secula mortem,  
Differt, utq; suos dextra benè computat annos.  
At si quis fortè est annos provector ad illos,  
Maxima Christjano ut faciat jã commoda seculo,  
Scindit florentes quam mox huic Atropos annos!  
Quod si, Jova, paras omnes effusus in iras,  
Lampada cœlestis nobis exstingvere verbi,  
Optemus posthac in censu & lumine rerum,  
Esse, & damnatas pœnis producere luces?  
Quid differre juvat misera vadimonia vite,  
Si lupus indomitum cades meditaturo vili  
CHRISTE, tuo, nec sunt, rabiem cacosq; furores  
Qui pecori baculo possint defendere verbi? (tes,  
Cernas nunc homines, vel adhuc de matre rubẽ-  
Ardua devoti sat agunt qui pulpita templi,  
Et divina crepant plenis mysteria buccis.  
Linguarum at tantum triplici sermone politi,  
Philosophum & tantũ callètes dogmata, quantũ  
Natus sub crassa Bratensis rusticus æthra.  
Quin novi Marcum, rationis cetera egenum,  
Qui, cum sexta dies Veneris de nomine dicta  
Hebdomados, primo conatur surgere Eoo,  
Sex-septem festi affert commentaria textus,  
Atq;



Atq; onerat plutei pręgrandi robora mole,  
Sollicitoq; omnes evoluit pollice libros,  
Consuit hinc longo centones agmine, fessus  
In multa ut calamus moriatur saepe papyro.  
Si compilatis jam nata est concio libris,  
Exspectat tacite securus sabbata rerum,  
Et tunc ad populum potuit vel stans pede in uno  
Dicere continuę, & magnū sine mente sonare,  
Finiret pulvis donec declivior horam,  
Plebibus attonitę bibulas donantibus aures.  
Ast hic se magnum distentus tempora credit  
Vivere Theologum, cunctiq; per æquora mundi  
Nominis æternam pulchrę clarescere famam.  
Talia & innumero fundunt se cymbala cętu,  
Et mera tornantur semper crepitacula lingua.  
Credo ego in adspicuo floccorum ę pulvere, ut olim  
Democriti mundos, nullo cum momine sensus,  
Tot nova Theologi produci ænigmata sæcli.  
Quam Marco gelidę trepidat formidine pectus,  
Ne ruat hoc cęlum, quoties rerum anxius audit,  
Nunc propiora solo cęli convexa videri,  
Et cum jam stadiis quot nescio millibus ipsum  
Desidisse audit promum condumq; diei,  
In chaos antiquum ne sint reditura veretur  
Omnia. sed vano quaso desiste timore,  
Quin ne terra ruat potius cave, Marce, pependit  
Quę circumfuso constanter in aere tanta

C Hactenus

Haecenus, & nulli potuit succumbere moli.  
Hanc tot myriadum calcant animalia tecum,  
Non tantum haec, sed & innumerus numerus viti-  
Cetera non curo: miror qui sola ferendo (oritur,  
Tempore sufficiat tot jam mortalibus uno,  
Quae corpus graviter mentita scientia tendit.  
Scilicet ista sumus servati in tempora, vix ut  
Sint hodie totidem, quot divitis ostia Nili,  
Qui solidam possint arcere indagine veri  
Hostem, & pollentis divini fulmine verbi  
Discutere errorum nebulas, cuneosque sophorum.  
Amplius Hunniaca apparent non semina mentis,  
Non Gesnere tuae, non mens haec enthea Rung I,  
Ulli vix hominum votis adeunda priorum.  
Haud erit haud Mylius dehinc nobis (mitibus audi  
Auribus hoc Nemesis) non Christjanusque Pericles.  
Ut tunc omnia erant! nunquam custodibus illis  
Nocturnum stabulis furem, incursumque luporum  
Christias exhorruit omnis secura pericli.  
Aurea laudatur priscis a vatibus etas,  
Mollia cum tuta peragebant otia gentes,  
Omnes cum salvi, cum furem nemo timeret  
Caulibus aut pumis, & aperto viveret horto  
Absque dolis, tunc orbe novo, caeloque recenti.  
Tolle Poetarum fucos, nebulaeque sophorum.  
Aurea tunc homini verè sunt saecula, nullo

Obiit

Obice tum purus decurrit sermo Jehovæ,  
Cum tranquilla colit lætas Ecclesia paces,  
Et sacri à nostris arcentur finibus hostes.  
Sed fuimus Troes. atas fors ferrea nobis  
Expectanda venit, series & longa malorum,  
Ni meliora Deus, nostro numeranda nepoti est.  
Pænarum hinc hodie multà formidine, vitæ  
Percipit humanos odium, lucisq; videnda.  
At quò me, quò me tandem dolor improbus egit?  
Affectus, rapidus velut in contraria vortex  
Me transversum habuit, movitq; è sede cerebrû,  
Ut mæsto tantùm agrotet mea dictio questu,  
Et mea letifero vellantur pectora morsu.  
Quæso ignosce DEUS, si quid fors mi excidit ultro  
Insani, & veniam nostro da quæso dolori.  
Rebus in humanis semper-rectissima fiunt,  
Justa quod occulti decrevit sanctio fati,  
Non nostrum est heic rimari, non quærere causas.  
Sed si fas causas à nostrà dicere parte,  
Quod tanto tristes irrepunt agmine pœna, (lis,  
En magis hæ liquida sunt, quàm sunt lumina So-  
In medio cœli cum se per singula didunt.  
Terrarum delicta, nec exsaturabile divi  
Ingenium mortale mali, scelerumq; figura  
Tot, flavas quot jam messor numeravit aristas,  
Hæ faciunt multare Deum nos vindice pœnâ;

Ha viridis rumpunt vitæ stamina vitæ  
Theologis, Uviteberga, tuis; hæ tristia cogunt  
Nos toties nostris, heu nostris! solvere iusta.  
Sed mala nos hodie nūquid sentire videmur, (est?  
Dum jã plaga recens, et adhuc in vulnere primo  
Num quod est, quodcunq; erit hoc susdeq; pu-  
tamus?

At cui cœlesti nunc mens est igne recocta,  
Sentit quàm magna pateat via lubrica plaga,  
Adventare videt cum majestate malorum,  
Contemtus celebres gravido cum fœnore penas.  
Proximior rapidis iret cum cursibus annus,  
Hicq; etiam, ò quoties visus pater Albis acerbo  
Illacrimasse malo, & Mortis luxisse furores,  
Prolueret nostros cum insano vortice campos.  
Theologosq; satis deslerunt æquora cœli,  
Dum semper densi funduntur ab æthere nimbi.  
Sic, ubi non sat flent homines, succurrit Olympo.  
Non ego non nimius vobis avidusq; doloris  
Dicar, & heic quod sit mihi nulla modestia questus  
Miratur tantum causa qui vulnera nescit.  
Sæve nimis, leges audes qui dicere flendi,  
Lugendiq; modos, lugent cum singula rerum.  
Ante mihi frondes medii per maxima Nerèi  
Æquora, & in summis producas montibus algas,  
Quam miseros lugere vetes, fletusque reprendas,  
Ante

Ante oculos adstat quævis non reparabile damnum.  
O damnum! MELIUS superis concessit ab oris,  
Ac nos in tantâ jam seditione reliquit,  
Religio ingenti quâ hodie cum clade laborat.  
Adstitit hæc nuper ferali mœsta cubili,  
Cum mors sacratos intraret sæva penates,  
Pugnantemq; animam mœrenti ut lumine vidit,  
Obtusasq; aures, oculisq; novissimus horror  
Ingruat ut Mylio, pæne in Mylio exspiravit.  
Lactea conspicitur ridenti semita cælo,  
Grata oculis hominum, & puro manifesta nitore,  
Creditur hæc iter ad cœlestia templa celebre.  
Huc mox Religio penetrans se præpete nisu,  
Incultas dispersa comas, & pallida corpus,  
Ante Deum voluit grandes effundere questus,  
Ter conata loqui, ter rupto destitit ore  
Singultans, diro at tandem laxata dolore  
Vox invenit iter, gemitusq; in verba soluti:

O qui magnificas mundi moliris habenas,  
Care pater rerum, & regum rex maxime Jova,  
Quæso ego quid potui in te quid committere tan-  
En tot carorum tristissima funera passæ (tum?  
Cunctus pæne mihi terrarum clauditur orbis.  
Deseris afflictam nunc me, pater optime, totam?  
Certè sæclorum tot jam volventibus annis,  
Nunquam Christianum potuisti relinquere cativum.

C 3

Quin

Quin omnes mecum tete componere soles  
Fatali donec mundus solvatur ab igni  
Pollicitus, quæ te quæso sententia vertit?  
Humanis Mylium subtraxisti usibus, uno  
Quo tua collabens nixa est Ecclesia tigno.  
Hoc equidem occasus HUNNIRUNG Iq<sub>3</sub> ruinam,  
GESNERI q<sub>3</sub> obitus mirè solabar acerbos.  
Nunc eadem fortuna virum, tot casibus actum  
Insequitur, quem das finem, pater optime, cladis?  
Nescio quis potuit felici tramite nuper,  
Carceris à cret à stadium decurrere ad imum.  
Sparserat & tetram quam diro è semine sectam,  
Omni animi potuit graviter defendere nisu,  
Incanos donec Proserpina sisteret annos.  
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arces,  
Omnibus (infandum) amissis, nunc hostibus ecce  
Prodimur, & superat nobis spes nulla salutis.  
Sic dixit, voluitq<sub>3</sub> alia, at dolor intercludit  
Vocis iter, tristesq<sub>3</sub> cadunt in verba lituræ.  
His pater omnipotens lacrimis humiliq<sub>3</sub> precatu  
Continuo totus variat, irasq<sub>3</sub> remittit,  
Leniter & se per rutili fastigia cœli  
Inclinat, placido & figens vestigia passu  
Pone subit nive à florens Miseratio veste.  
Mox novus irradiat cœlesti è numine fulgor  
Mœnia cœlorum, albentisq<sub>3</sub> hæc compita tractus.

Secula

Saecula cuncta soli presentia numina credunt.  
Ipse sed affectus plenissima lumina blandi  
Ad miseram obliquans, contra mox talia fatur:  
Vivo ego, nulla meam vertet sententia mentem,  
Non ego te viduam mundi per saecula linquam,  
Est mihi, semper eritq; mihi haec Ecclesia cordi,  
Hujus & semper ero cymba portisculus ipse,  
Sufficiamq; virum, Heroas qui praestet, ephelis  
Et quem nulla urat falsa lentigine secta,  
Si mutant vitam mortales nequiter actam.  
Qui mihi, quiq; tibi sat multo tempore totam  
Impendit vitam Mylius, sat nunc quoq; vixit.  
Ipsa tuum, at memori, consopiente pectore luctum.  
Sic ait, & maestam hanc verbis solatur amicis,  
Indubiamq; jubet jamjam sperare salutem,  
Signa etiam passim monstrat manifesta favoris.  
At tu, magne Myli, nunc magni nominis um-  
Stellarum aeternos inter qui fulgis honores, (bra,  
Te licet alma fovet satura momenta quietis,  
Atque expers cura securo lumine rides,  
Si qua tibi à nostrà veniunt praconia mente,  
Nec lubet humanas jam inter sordescere laudes:  
Cerne tamen luctus, & gratæ munia mentis,  
Affectusq; pios; & si fors pertinet ad te  
Nostra hæc quæ dios maectamus nenia manes,  
Quæsumus hæc audi athereis adscite maniplis:

Nos

Zc 7804

Nostibi pro tanto meritum in nos monte tuorum,  
Solvimus aeternas imo de pectore grates.

Ante bibet Saxo patrij mihi flumina Mœni,  
Vitiferos celebris Francos prius alluet Albis:

Ex animis quam te tollant oblivia nostris.

Et tunc fortè tui fama morientur honores,

Ibit divini cum pessum dogma Luteri.

Ecce, mihi mentis valide servaris in ipso

Interiore foco, & penetrati pectoris arâ,

Dum mihi vitalis pulsabit spiritus artus.

Sed quid ego laxis nimium spatiatus habenis,

Ipsè tua altarum praconia detero laudum?

Audi iterum praesens, sed verba novissima tantum.

Magne MYLI, cœli sidus spectabile, SALVE

Atq; VALE: alme MYLI, divum sanctissime

patrum

SALVE, supremumq; VALE: dignissime cœlo,

Care MYLI, eternum nobis SALVETO, VALETO.

---

Bernhardus super Cantica Sermone 18.

CANALES multos hodie habemus in Ec-  
clesiâ, conchas verò perpaucas.

F I N I S.

VDTA

mit





Q. H. 262, P.

AFFEC  
 VITI SE  
 FRANCI,  
 LAU  
 IN  
 GEORC  
 MYLIUM T  
 GUM MA  
 Ecclesiae & A  
 VVITEBER  
 Doctorem & Professore  
 eximum, Praece  
 deratissim  
 Declara  
 In panegyri  
 VVITEB  
 IV. Non. Augusti, A  
 clo Ioc  
 Typis Cratonianis per  
 Impensis Clementis



53993

